



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 46. Quotidiana Cæsaris vita in hac Solitudine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

ineunte Anno Domini millesimo quin-  
 gentesimo quinquagesimo quinto Petrum Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.  
 Sorbionum Architectum unacum cele-  
 berrimo quodam Hortulano Bruxellis  
 ad hoc Monasterium præmiserit, ut ibi-  
 dem in imo sex cellulæ, necnon hortus  
 juxta descriptionem, formamque a se-  
 metipso delineatam construerentur. Cete-  
 rum hoc Cœnobium in Estremadura  
 Lusitanica septem, aut octo leucis a  
 Placentina civitate in Lusitanix finibus  
 prope urbem, quæ Sarandilla appella-  
 tur, situm est, & amœnitate vallis,  
 circumque adjacentium collium pro-  
 spectu ad sacrum recessum satis com-  
 modum fuit. Eo Carolus equo ve-  
 ctus, ac nonnisi duodecim famulis sti-  
 patus se contulit, vixque advenit, cum  
 de solutis induciis antea Hispaniam  
 inter, & Franciam pactis nuntium ac-  
 ciperet, quod ægre admodum ferebat,  
 spe tamen hac postmodum erectus, qua  
 imprudentiam, ac Pontificiorum Nepo-  
 tum temeritatem Franciæ rebus brevi  
 nocivam fore, Gallosque prosperis, qui-  
 bus erant inflati, successibus spoliandos  
 augurabatur.

## §. XLVI.

*Quotidiana Cæsaris vita in hac  
 solitudine.*

*Hist. Eccles. Tom. XLII.*      **Ee**      **Por-**

Sæcul XVI.  
A.C. 1556.

*Vera p.* 303.

*Strada l. 1.*

*Steydan.*

*comm. l. 12.*

*ann. 1556.*

Porro Carolus Cæsar vitam suam in hoc recessu ita transigebat. Assiste-  
bat assidue Divinis, stisque horis Monacho-  
rum psalentium precibus, quas non-  
nunquam musico concentu celebrari vo-  
luit, ac ferme semper solemni sacro in-  
terfuit, ubi animam suam cœlesti epu-  
lo pascebat: insuper bina vice in D.  
Justi monasterio jejunium venum ser-  
vavit, cunctisque hujus sacri tempo-  
ris feriis sextis corpus suum unacum  
ceteris Monachis plexo e funiculis fla-  
gello cruciabat, nec raro quasdam ho-  
ras manuum labori, vel construendis  
machinis dicabat, & modo partiri areo-  
las in horto, culturæque, & arborum  
infitionibus, ut olim Diocletianus ab-  
dicato Imperio affueverat, manum com-  
modare, modo etiam conficendis ho-  
rologiis operam dare conspiciebatur.  
Postremo ob exequias, quas Matri suæ  
anniversarias persolverat, nova inces-  
sit animum cupido & suas celebrandi,  
remque communicavit cum Joanne Re-  
gula ex Hieronymiana familia, qui ejus  
conscientiam moderabatur, cum igitur  
is insolitum quidem illud, nec hucus-  
que auditum, pium tamen, ac salutare  
dixisset, apparari funus sibi quamprimum  
jussit. Ergo excitatur in templo  
tumuli moles, funalibus illuminatur,  
atrati circumstant famuli, mortuale sa-  
crum

crum mæsto Monachorum cantu peragitur, ipse funeri superstes suo, spectabat in illo imaginario munere veras suorum lacrimas: audiebat exequiale carmen, placidam ipsi requiem beatas inter sedes implorantium, eademque ipse sibi suffragia psallentibus immixtus exposcebat. Demum humi prostratus nigro panno obvolvebatur. Hoc spectaculo rursus ex adstantium oculis lacrimæ ubertim profluebant, atque pro ejus anima iidem omnino ritus, qui defunctis suæ sepulturæ relictis impendi solent, celebrabantur.

## §. XLVII.

*Sleidani obitus, finisque suæ Historiæ.*

Hoc vitæ genere, quod Carolus V. Imperator pie incœperat, descripto Joannes Sleidanus finem imposuit viginti sex libris Historiæ suæ, quam sub hoc titulo: *Commentarii de statu Religionis, & Reipublicæ eidem Cæsari nuncupaverat.* Perperam nonnulli exactam hujus Scriptoris fidem deprædicant, cum tamen cæco prorsus studio abreptus nequiter Protestantes dilaudare, atque in eorum favorem ubique fidem suam venalem exponere deprehendatur. Videtur quoque, quod nonnisi invitus, ac parce admodum Caroli V.

Sæc. XVI.  
A.C. 1556.

*Thuan. l. 17.  
Spond. annual. hoc ann. n. 8.  
Crusius annual. Suevic. part. I. l. 11. cap. 24.*